



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Metropolis Salisbvr gensis

Continens. Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum
Collegiatarum, &c. per Boiarum, ac loca quædam vicina

Hund, Wiguleus

Monachii, 1620

Benefactores Monasterii Pollingensis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13591

Ex quo apparet tempore huius restitutionis ibidem fuisse fratres. Scribit Auencinus in Annalibus suis, fol. 292. Polling & Schleichdorf ab Vngaris afflicti, amotis illis fratribus, myſta D. Aurelij Auguſtini ſunt & nominantur. Fuerunt nihilominus ibidem etiam Moniales, ſicut in plerisque aliis, quas Giſala Imperatrix, Conradi Salici vxor, quæ obiit, ſexto Calend. Februarij, Anno 1041. 42. vel 43. eiecit ex iſto loco, ſubſtitutis Canonicis.

ADVOCATIA huius Cœnobij à primis fundatoribus data fuit Episcopis Brixinensibus, qui eam adminiſtrarunt, vſq; ad Hartmannum Episcopum, qui contulit iure feudali dictam Eccleſiam, quod nimis remota erat Heinrico Duci Baſariæ, & Saxoniz protegendam. Diploma extat.

IN NOMINE ſanctæ & indiuiduæ TRINITATIS, Henricus diuina clementia Baſariæ & Saxoniz Dux, &c. ait, ſe Aduocatiâ Monast. Pollingen, petitione Præpoſiti & fratrum accepisse, feudali iure, ab Hartmanno Episcopo eo pacto, ne alicui ipſe, aut Succesſores alij eandem tradant, ſed immediate Ducibus ſubiectum ſit. Quod ſi nos, aut Succesſores noſtri aliter egerint, alium eligant Aduocatum, nec grauabit nouis exactionibus: Teſtes, Fridericus Pala. Comes, Marchio Berchtoldus, Adelgoz Auguſtensis Aduocatus, Eberhardus de Vrichendorf, Henricus de Wida. Acta ſunt hæc, Anno Domini 1160. Indiſt. 7. Anno Imperij Domini Friderici, inuictiſſimi Romanorum Imperatoris VI.

Ex libro
Monasterij
in Dieth-
raufzell.

CIRCA Annum 1300. infra ſpacium 20. annorum, propter nimias exactiones Principum & Aduocatorum, infra ſcripta Cœnobia ſanctimonialium ad tantam paupertatem redaſta ſunt, vt intrarent clauſtrum ſancti Laurentij in Peurn, ordinis ſancti Benedicti, nempe clauſtra Polling, Raitenpuech, ordinis ſancti Auguſtini, videlicet regularium Canonicorum, & clauſtrum ordinis Præmonſtratenſium etiam Monialium in Staingaden, &c.

BENEFACTORES MONASTERII POLLINGENSIS.

ANNO Domini 1163. Hartmannus Brixinensis Episcopus, in die inuentionis ſanctæ Crucis, rediens à curte regali Friderici Imp. quæ habita Moguntiz, cum & ipſa deſtructa eſt, tradidit Pollingen. prædium ſuum in Obroluing ſitum vnum manſum, accepit prius Arnoldus, miles Lornandi, à fratribus non in beneficium, ſed in ſeruitium more coloni.

Ex rapſo-
dis Auent.
Schwaig

WERNHERVS Nobilis tradidit prædium Magnibach, Teſtes Odaſchalcus de Walheshuſen, frater Wito cum 7. filiis.

NOBILIS Wernhardus prædium Rieth tradit, acceptum à Reginberto Episcopo Brixinensi, & eius Aduocato, Arnolpho Comite: Teſtes, Conradus Scifridus de Weilheim.

BECILIVS de Kirchdorf tradit hæc, Wigefviler & Lancvate permiſſione Guelphonis Ducis: Teſtes, Henricus Decanus de Nazzenburen.

BERNHARDVS Aduocatus Pollingensis tradidit manſum in villa Hering pro calice ablato, Hilreberto Præpoſito.

CONRADVS Comes & Dux de Dachau, tradidit Odrating, per manus Conradi Comitis de Vallai: Teſtes, Dux Welpho ſenior, Arnoldus Comes de Dachau, Otto Comes de Vallai, Wolſtrigl de Künigſvviſen, Otto de Afcham, Degenhart de Sephelt, de familia Com. & Ducis.

IDEM Conradus Dux de Dachau tradidit Rumne (Reit im Jntal bey Hall) Teſtes, Bernhardus de Rotefe, Albertus Comes de Tyrol.

WELPHO Dux tradidit manſum Winchele, qui fuit Vdalrici de Egilingper manum Popponis, Com. de Andechs. Teſtes, Henricus Herman de Ramin-
gen,